

1512 ta magni ponderis mitti confestim imperaret, sine quibus expugnari arx non poterat: qua in arce erant equites Galli circiter ducenti, qui suos equos ob celeritatem fugæ in oppido prædæ hostium reliquerant; milites trecen-
 ti. Senatus ex eisdem Gritti literis duos legatos, alterum qui Brixiam regeret, Antonium Justinianum; alterum, qui in exercitu esset, Paulum Capellum creavit: legemque scivit, ut quinque militum millia undecunque conscriberentur, ad prioresque adderentur, ut bellum confici facilius atque celerius posset.

*Pax cum
 Maximilia-
 no ob ini-
 quas condi-
 tiones reji-
 citur.*

Dum hæc administrarentur, Roma literæ venerunt, velle Julium, ut Senatus cum Maximiliano pacem faceret iis conditionibus, quas legato dari iusserat: quæ nisi pax suum finem quamprimum habeat, se cum reliquis contra rempublicam consensurum, aperte profiteri. Eæ autem conditiones multo erant duriores, quam quæ paulo antea proponebantur. non enim Veronam relinqui sibi Maximilianus tantum petebat, sed Vicetiam etiam tradi suis cum finibus. De Forojuliensibus vero & Cividale & Feltria, ut Julii iudicium esset, cui ea dari æquum esset, postulabat. tum ut suis populis, qui aliquid eo bello amisissent, ablata restituerentur, statuebat. demum, quas auri libras tercentenas pro Patavio & Tauriso reipublicæ concedendis ei esse dandas prope convenerat ejus rationis ac ponderis, ut novem unciaë libram conficerent; eæ ut singula duodecim unciaë libram intelligerentur, reliquis conditionibus addiderat. His igitur conditionibus, uti pacem Patres firmarent, Julii & Ferdinandi legatis, atque Alberto Pio Maximiliani legato, qui & ipse literas de ea re acceperat, magnopere petentibus, responderunt Patres, *se de iis Senatum consulturos*. tametsi Brixia recepta tam iniquas eum esse condiciones accepturum non credebant: neque Julium ipsum, cum id intellexisset, in sententia existimabant permansurum. atque ii, antequam Senatum cogerent, a Gritto certiores facti sunt, non omnes modo Brixia fines ad rempublicam rediisse, sed Bergomates quoque Gallos ex oppido ejecisse, & vexilla